

Cartulaire de Marmoutier pour le Perche (N.-D. du Vieux-Château Collégiale de St-Léonard de Bellême et Prieuré de St-Martin-du-Vieux-Bellême), Nr. 62

Pateat omnibus, maxime nostris presentibus et futuris quod quidam miles de Belismo, Gaufredus nomine, filius Lamberti de Braival, in capitulum nostrum aliquando veniens, beneficii nostr, se participem fieri postulavit. Quod postquam accepit Dei amorei et anime sue mercede, decem et octo denarios Cenomanenses census nobis donavit atque concessit, quos ei monachi nostri pro quodam molendino et aliis que ab eo tenebant persolvebant, singulis annis. Hoc dono cum quadam virga domnum abbatem investivit eamdemque postea super altare posuit audientibus et videntibus istis : Ex parte sua: Buchardo, Enjelbaldo Herbranno ; e nostris : Christiano, Martino utrisque de Hospicio et Gaufredulo Nannetensi. Affuit et Adam de Buri, qui in ipso capitulo nobis quamdam decimam dedit. Actum est hoc tempore Odonis Abbatis, Bernardo domni Belismensi presidente.